

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 2780

**Auteur(s) :** Robert de Torigni, Le Mont-Saint-Michel, Le Mont Saint-Michel (abbé)

**Bénéficiaire(s) :** Ansgot, La Lucerne-d'Outremer, Sainte-Trinité de La Lucerne (abbé)

**Genre d'acte :** lettre

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1165, 28 décembre

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Lettre de l'abbé Robert, relative à une concession faite à l'abbaye de la Lucerne.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Chronique de Robert de Torigni, abbé du Mont-Saint-Michel : suivie de divers opuscules historiques de cet auteur et de plusieurs religieux de la même abbaye*, le tout publié d'après les manuscrits originaux, Rouen, Le Brument, 1872-1873, 2 vol., t. 2, « Lettres, chartes et pièces diverses de l'administration de Robert de Torigni », n° XVI, p. 278-280.

## Dissertation critique

Datation proposée par L. Delisle.

Texte établi d'après a

Robertus abbas et conventus Montis Sancti Michaelis in periculo maris, dilectis in Christo fratribus Ansgoto abbati et conventui de Lucerna, rei et religionis profectum. Fraternitatis vestre caritas sepius nobis est conquesta quod, ex vicinitate cujusdam collis qui vestre supereminet habitationi, non modica vobis aliquando molestia proveniret ; pastores enim et venatores, collis illius eminentia gratum sibi dante spatium consistendi, ludos ibidem frequenter agunt ac jocularis concinunt cantilenas. Quibus inde deorsum loca prospectantibus patet omne quod in illis aut est aut agitur, ut, duplici tedio, grave sit quod vident et gravius quod videtur. Si quos etiam de fratribus viderint laboribus occupatos, multa super illos inclamare ludicra non verentur. Hanc igitur infestationem omnimodis effugere cupientes, crebris nos adiistis precibus, ut necessitati vestre consentiremus predictum loci spatium excambire, quatenus, in vestram proprietatem colle recepto, vestra prudentia fossis ac sepibus excluderet infestantes. Hec apud nos vestra conquestio fuit, hec vestre petitionis summa. Nos autem ex nostris aliorum scandala cognoscentes, religionis injurias equa mente non potuimus, licet in aliis, sustinere. Quapropter, ad vestre supplicationis preces exaudiendas, quantum permisit ratio, pietas inclinavit, et quamvis raro contingere videamus ut ex monasterii cujusquam possessionibus vel etiam per venditionem alia subleventur, nos tamen, ex intuitu caritatis, necessarium vobis locum commodare maluimus quam commutare, scientes non que venduntur sed que dantur a Domino in gratiam reputari. Concedimus ergo vobis predictam terre portionem, et eam pro Christi nomine, sicut gratis accepimus, gratis impertimur, utilem sane, si non frugibus aut pascuis aut ad exitus ampliandos, tamen, quod non minimum est, ad predictum incommodum repellendum : parva namque prestantibus commoda non minus est per quod grandis importunitas devitatur. Terra hec his undique terminis limitatur, id est a rupe que sursum prominet usque dum per Albam Spinam perveniatur, et a summitate collis usque ad confluentiam fluviorum. Ex

hac ergo, ut diximus, gratuita donatione, preter orationum suffragia, quibus a modo nostre fraternitatis societas non desinet invicem subvenire, presentis commodi nichil a vestra requirimus caritate, nichil, inquam, nisi quod ad causas nostre domus, vel ecclesiasticas vel seculares, quotiens opus fuerit, abbas vester aut de fratribus qui vocati fuerint nobiscum [debeant], vel etiam sine nobis, nostris tamen sumptibus, proficisci. Nos vero terram istam, et eam quam dedit abbas Bernardus, sed et illam quam Willelmus de Sancto Johanne commutatione recepit et ab ipso vestris usibus est collata, vobis auctoritate beati Michaelis et nostra confirmamus, et eo quo date sunt tenore perpetuo et firmiter et inconcusse statuimus possidendas.

Undecies centum sex annos fecerat Agnus,  
Tresque dies tantum retinebant mensis et annus,  
Quando carta fuit patre scripta jubente Roberto,  
Ut per scripturam semper sit res in aperto.